

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In die festo Philippi et Jacobi

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

rot, &c. Hæ manus furiferæ sunt, quibus metam justitiæ supergressus, hi pedes nefarii, qui in tenebris ambularunt, ad varia scelera perpetranda. Qua ratione pessimè audiemus: Sed ut manus & pedes, imò totum corpus confidenter exhibere possimus, dicentes: Hæ manus sunt, quas noctes diesque ad Deum piis precibus elevavi, quibus bona operatus sum, & quas proximo meo aperui. Hi pedes, qui sapissimè in ædem Domini ad

cultum Deo litandum me pertulerunt. Hoc corpus meum, quod afflictum crucifixi, quò maneret templum Spiritus sancti: imò ego ipse sum, qui Christo fidelis fui usque ad mortem, propterea nunc mihi reposita est corona vitæ, Apoc. 2. vers. 10. Hæc laus insignis erit! Beati erimus si eâ inclarescemus, quod fiat per CHRISTUM JESUM, Dominum nostrum, Amen.

## IN DIE FESTO PHILIPPI ET JACOBI.

*Evangelium Joh. 14. v. 1. -- 14.*

### EXORDIUM.

**D**E Mose, inclyto Heroë fidei refert Paulus, quod grandis factus, negaverit se esse filium filiarum Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalem peccati habere jucunditatem: majores divitias æstimans thesauris Ægyptiorum improprium Christi: adspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus ferociam Regis: invisibilem enim, tanquam videas, sustinuit, Hebr. 11. v. 24. & seqq.

Sicut igitur Moses multis aliis in partibus: sic & hæc in parte typus Christianorum fuit.

Mundus nihil aliud est, quam spiritualis Ægyptus, in qua filii filiarum Pharaonis, hoc est, filii hujus seculi, Luc. 16. vers. 8.

qui terrena sapiunt, & quorum Deus venter est, Psal. 31. vers. 19. magna in dignitate & gloria vivunt, gaudent omnium rerum affluentia, in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur, felices sunt in seculo & obtinent divitias, Psal. 73. v. 5. 12. unde omnium applausu felices existimantur, audientes: Beatum populum cui hæc sunt, Psal. 144. vers. 14. Contrà filii lucis, Luc. 16. v. 8. variis tribulationibus subjecti opprobrium Christi sufferrecoguntur, & ferociam Principis hujus mundi, Joh. 14. v. 30. quia non de mundo sunt, sed elegit eos Christus de mundo, Joh. 15. v. 19. flagellantur totâ die, & castigatio eorum in maturinis, Psal. 73. v. 14.

Nihilominus fides in illis prævalet: sicuti

Sicuti enim Moses omni gloriae, divitiis & voluptatibus renunciavit, negavitque se filium esse Pharaonis: ex adverso verò elegit affligi cum populo Dei, sustinens invisibilem, tanquam videns, & in Messia confidens, gloria vitae aeternae, & electorum beatitudine se confirmavit, cujus respectu omnia terrena susque deque habuit:

Ita pii humanae gloriae, mundanisque facultatibus, quibus in spirituali Aegypto frui possent, sua sponte valedicunt, magis cum Christo opprobrium eligentes, ut in altero seculo cum illo regnent, quam ut cum filiis hujus seculi in felicitate degant, & aliquando ad opprobrium sempiternum resuscitentur, Dan. 12. vers. 2. & libertate gloriae filiorum DEI careant, Rom. 8. vers. 21. malunt carere thesauris in terra, quam thesauris in caelo, Matth. 6. vers. 20. diligunt magis gloriam Dei, quam gloriam hominum, Joh. 12. v. 43. Optimè intelligunt, mundanum gaudium & gloriam, tantum temporalem peccati jucunditatem esse, ideo non diligunt mundum, neque ea quae in mundo sunt, 1. Joh. 2. v. 15. Breviter: adspiciunt cum Mose in remunerationem. Quae in illis terrenorum oblivionem inducit, & animam ad caelestia inflammat, dum ex Aegypto hujus mundi in caelestem Palaestinae introducantur.

Hoc solatio Servator discipulos suos contra perturbationem, persecutiones & miseriae confirmat, proponens ipsis futuram remunerationem, quam cum Mose intueri, & in domo Patris caelestis expectare debeant, quando rediturus

fit, eosdemque assumpturus, ut ubi ipse sit, & illi sint.

Nos Instituti nostri memores videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegesis.

**D**iligit Deus populos, inquit Moses in cantione sua valedictoria; & hanc ratione ardentissimam Dei caritatem nobis commendat.

Quod verò hinc Moses de dilectione Dei in genere canit, id in specie applicari potest ad secundam Trinitatis personam Christum *θεός, ὁ υἱός*. Diligit & ipse populos, quod praelecta Pericope satis probat.

Querela respicit

I Nostram in profectu Christianismi *oscitantiam*, quam & Thomas & Philippus petitione & quaestione sua satis indicant. Non modo Thomas & Philippus, sed & reliqui Apostoli aliquamdiu scholam Christi frequentarant, & ex ore ejus multas praclaras conciones, de persona, officio & beneficiis ejus perceperant, quo ipso in doctrina sufficienter instrui, nec contemnendum fidei fundamentum ponere potuissent: Verum oscitantiam eorum, ipsi testantur, siquidem Thomas sine propudio ait: Domine, nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire? Philippus verò dicit: Domine; ostende nobis Patrem & sufficit nobis.

kkkk

nobis

nobis: ut justam propterea Christi increpationem incurrat; dicentis: Tanto tempore vobiscum sum, & cognovisti me. Tales ignorantia fratres olim Judæi erant, ad quos Paulus scribit: Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit, non cibo solido &c. Ebr. 5. v. 12.

Inter nos hodiè non minor negligentia reperitur, ut ita reprehensio Christi & Pauli non immerito in nos quadrer.

Beneficentissimum sanè Numen nos Germanos præ aliis gentibus gratia sua profecutus est, dum in mundi hujus vespera lucem verbi sui inter nos accendit, & Ministerio electi sui organi B. Lutheri facta Biblia in vernaculam transferri curavit, ut ita verbum non modò legere, sed & audire queamus, dum dat Dominus Evangelistas magno exercitu, Psalm. 68. vers. 12.

Omne consilium suum annuntiavit nobis Deus, nihilque subtraxit utilium, quo minus annuncietur nobis, & doceatur publicè & per domos, Actor. 20. vers. 20. 27. Hic sanè æquum foret, cognoscere, eorum verborum, de quibus erudimur, veritatem, Luc. 1. v. 4. ut sciamus, quæ spes sit vocationis ejus, & quæ divitiarum gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus, in nos, qui credimus, secundum operationem potentia virtutis ejus, Ephes. 1. v. 19. Verùm plurimi, ubi magistri debebant esse propter tempus, rursus indigent, ut doceantur, quæ sint elementa exordii sermonum Dei, licet decem, vi-

ginti, triginta, quadraginta annos, plus minus à verbi præconibus instructi sint, semper discentes, & nunquam ad agnitionem veritatis pervenientes, 2. Tim. 3. v. 7. quo fit ut pueri centum annorū inveniantur, qui vitam suam in turpi hac ignorantia concludunt, Esa. 65. vers. 20. qui ita blasphemare faciunt inimicos nomen Domini, 2. Sam. 12. v. 14. siquidem Nuncius Pontificius Carolus Caraffa, in Germania facta restaurata, scribere non dubitavit: Lutheranos Doctrinam fidei, uti non valdè scrutantur, ita non multum curare: quod tamen multo æquius de Papiistica Ecclesia asseruisset.

Quales verò hi Christiani censendi sunt? Sanè, sicut neminem artificem vel opificem rectè vocaveris, qui artem non didicit, & caller: sic neque Christiano nomine appellari potest, qui fundamenta doctrinæ Christianæ non didicit, sed in seram usque senectutem in ignorantia luto hæsitat, Eiusmodi homines multifariam delinquant,

1. *Adversus Deum*, per inobedientiam & ingratitude, dum admonitiones ejus, ad sedulum Scripturarum scrutinium, meditationem verbi ejus, & crescendum in gratia & cognitione Jesu Christi, Joh. 5. v. 39. 2. Petr. 3. 18. impiè vento tradunt, & ita gratiam oblatam rejiciunt.

2. *Contra proximum*, cui oscitantia sua scandalum præbent, Zelum diligentium Christianorum spernunt, negligentiam verò oscitantium roborant, adeoq; omnibus offendiculo sunt.

3. *Contra seipsos*, dum nomine Christianorum indignos se reddunt, & adversariis, qui

qui majori difcendi zelo pollent, fe proftituunt: omni præfidio contrâ fpirituales & corporales hoftes fe privant, præcipitant fe in periculum apoftafias, quæ in illis facilè fieri poteft: fuperinducunt iram Dei in fe, & in tribulationibus falutari folatio carent. Breviter, æternæ falutis jacturam faciunt, & in damnationis barathrum fe præcipitant. Meritò igitur folicitudiam ejusmodi vitemus, & Chriftianifmi accuratiorem curam geramus.

II. *Via ad cælum ignorantiam.* Domine, ait Thomas, nescimus, quò vadis, & quomodo poffumus viam fcire?

Quod Thomas de fe & Collegis fuis spontè confitetur, idipfum naturaliter in nobis quoque reperitur, quod nimirum naturâ, & ex viribus liberi noftri arbitrii viam ad cælum invenire nequeamus. Animalis enim homo non percipit ea, quæ funt Spiritus Dei; ftultitia enim eft illi, & non poteft intelligere, quia fpiritualiter dijudicatur, 1. Cor. 2. v. 14. Et nifi S. Scriptura viam oftenderet, in perpetuum æternâ falute excluderemur.

Et licet Diabolus nullum non lapidem moverit, quo notitiam hanc in animis hominum obliteraret, ficut perfuafu ejus, Epicurus cum affeclis non aliam, poft hanc, vitam credidit: attamen non omnino ei fuffecit, fi quidem, plerique hominum animas immortales effe, & poft hanc vitam benè aut malè degere, contulerunt. Sicut & Gentiles multa fuaviter de campis Elyfiis bonorum, & infernali cruciatu malorum reliquerunt.

Nec facilè quenquam effe autumo, quin infernum evitare, & cælum defiderare malit. Verum viam cæli paucif.

simi norunt, reliquis cœcitate percuffis, ad exemplum Sodomitarum, ita ut oftium invenire non poffint, Gen. 19. v. 11. per quod cælum ingrediantur. Unusquisque in viam fuam declinavit, Efa. 53. v. 6. & diverfam falutis viam fibi excogitat, Satana illi facem præferente.

Saniore Ethnici viam falutis fibi propofuerunt, operationem animæ rationalis fecundum virtutem perfectam, in vita perfecta. Judæorum via eft circumcifio, & onera legis. Turcarum via eft Alcoranus & Machometes. Alii alias vias fibi excogitarunt, ita ut Pontificiorum viæ numerandæ non fint, dum Mifis, Indulgentiis, Reliquiis Sanctorum, peregrinationibus religiofis, meritis operum, interceffionibus Sanctorum, flagellationibus, aliisque viis erroneis, in cælum pervenire fatagunt.

Quæ opinionum diverfitas luculento indicio eft, quod homo naturâ viam cæli ignoret, fecus enim non tot erroneæ viæ excogitarentur.

Agnofcamus proinde ignorantiam hanc naturalem, ne nimium lapere videamur, fed verbo Dei adhæreamus, in quo via cæli regia nobis oftenditur. Quia verò hæretici verbum Dei fufque deq; habent, quid mirum, illos in Cimmeriis tenebris à rectâ calle aberrantes, ad infernum migrare?

III. *Agnitionis Dei abfentiam.* Chriftus ait ad Philippum: Tanto tempore vobiscum fum, & non cognovifti me?

Multis equidem hodiètenus Chriftus cum verbo & Sacramentis fuis adefl, qui tamen ipfum non cognofcunt, dum de  
kkkk 2 omni-

omnipotentia & omnipraefentia ejus durant. Nemo non Christum in ore habet, quem tamen quoad personam, officium & beneficia non agnoscit, sed potius operibus iniquitatis abnegat. Sic Ara Atheniensium quam *Θεῶν ἀγνοῖα* exstruxerant & cui ministrabant illi, in medio orbe Christiano reperitur hodiè, multis Christianorum in turpi ignorantia versantibus, & Deum verum non salutariter agnoscentibus adorant quod nesciunt, ut Christum Samaritanis exprobrat, Joh. 4. v. 22. templum cum Deo ignoto ingrediuntur, & egrediuntur.

Optandum foret, ut omnes qui in fœda hac ignorantia Dei versantur, in auribus suis subindè vocem Christi audirent: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovisti me? idque hoc sine, ut de inficitia hac erubescerent, & illi valedicere elaborarent? Fiet id, si cum Maria, abjecta temporalium cura, quatenus animæ curæ obest, secus pedes Christi fedebunt, & optimam partem eligent, quæ non auferretur ab eis, Luc. 10. v. 39. quando sicut modo geniti infantes, rationabiles & sine dolo, lac concupiscent, 1. Petr. 2. v. 2. Si cum nobilioribus Berthoënsibus verbum suscipiant cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se habeant, Actor. 17. v. 11. Quinimò si cum Lydia purpurarum venditrice verbum sedulo audient, Dominus cor eorum aperiet, ut intendam iis, quæ dicuntur, Actor. 16. v. 16.

Hoc si fecerint, non modò omnem ignorantiam eliminabunt: sed & in salutari cognitione & sapientia crescent, & evitatis inferno, vitam æternam posside-

bunt, juxta illud Christi: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te &c. qui verò non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi; dabunt pœnas interitum æternum, à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

### De Secundo.

**S**equitur *Medela*, quæ fuit  
**L. Ex firma fidei persuasione.** Prædixerat Servator discipulis suis, quid sibi eventurum esset, hinc illi perterriti, sine dubio cogitarunt: quod si Magistri nostri fors hæc erit, quid de nobis fiet, qui à partibus ejus stetimus?

Hunc eorum animi mœrorem Christus levare vult, propterea ait ad ipsos: Ne turbetur cor vestrum. Credite in Deum, & in me credite. Quibus verbis Christus se verum Deum profiteretur, siquidem in neminem alium credendum, nec in alio fiducia ponenda, quàm in solo Deo. Simul quoque, optimam consolationem in fide contineri, docet. Hinc Habacuc: Justus in fide sua vivet, c. 2. v. 4. hoc est, in corde sentit gaudium & solatium ex fide. Fides enim Christum apprehendit, qui vera petra est, in hac qui ædificaverit, nullis pluviis, neque ventis tribulationum prosternei potest, Matth. 7. v. 25.

Apprehendit in Christo gratiam Dei, hac quando cor confortatum est, homo parùm curat, quæ exterior sua fors sit.

Si mundus ad fidelem dicit: Vitam tibi etipiam: fides respondet in corde: id minoris æstimo, quia Deus vitam restitue-  
 re potest.

Si

Simundus; Bona & facultates, honorem & gratiam à te auferam. Respondet fides, Deus centuplum mihi remunerare potest, temporalia sunt transitoria, sed cœlestia æternum duratura.

Si Diabolus in tentationibus; Deus te æternum abjiciet, propter peccata. Respondet fides, Christus peccata mea expiavit, & qui Christum apprehendit, is gratiam habet apud Deum, ut nulla condemnatio in eo sit, Rom. 5. v. 3.

Quinimò, vera fiducia in Deum, omnimò in Christo fundata est, ut Servator hinc ait: Credite in Deum, & in me credite. A Christo incipiamus oportet, si veram Dei fiduciam consequi velimus, & hinc firmissimum solatium resultat in omnibus ærumnis & tentationibus, quo pii roborantur, ut non modò tribulationes æquo animo ferant: sed & in iisdem gloriantur, Rom. 5. v. 3.

II. *Ex cœli promissione.* In domo Patris mei, inquit Christus, mansiones multæ sunt. Et iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.

Hoc solatium omnes afflictas & perturbatas conscientias confirmare potest; hinc enim discrimen cernunt, vitæ hujus præsentis, & futuræ. Hæc vita nihil aliud est, quàm exilium, ubi nullam civitatem permanentem habemus, Ebr. 13. v. 14. sicut hæc fidelium conditio per tabernaculum fœderis, in V. T. præfigurata, quod non fixo loco mansit, ut templum Hierosolymitanum, sed de loco in locum deportatum fuit.

In cœlo verò nos expectant *μορὰι* mansiones, earumque non paucæ, sed multæ:

nec illæ in ergastulo aut carcere aliquo: sed in domo Patris mei, inquit Servator, in quo ille tanquam Filius dilectus, in quo Patri complacuit, Matth. 3. v. 17. potestatem habet amicos suos benignè excipiendi & tractandi, sicut & in veritate promisit, inquit: Iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.

Quodsi igitur in hoc mundo ubique odio, invidentia, persecutione infestis, mansionum perennium in domo Patris recordare quæso, ubi non accidet tibi malum & plaga non appropinquabit tabernaculo tuo, Psal. 91. v. 10.

Quodsi hinc in exilium agitaris, domus & facultates tuas relinquere cogaris, aqua & igne tibi interdicitur: specta domum Patris cœlestis, ex quâ nemo tyrannorum exturbabit te, cum B. Luthero fiducialiter dicens: Si terra nos non capit, cœlum capiet.

Si mors tibi ingruit, noli formidare eam. Nosti enim te hinc non inquilinum, sed peregrinum esse: *πολίτευμα* tuum est in cœlo, Phil. 3. v. 20. in domo Patris tui. Mors vehiculum duntaxat est, quo Pater cœlestis te avehit. Sicut Jesus tuus hic pollicetur, se rediturum. Quando vero? in hora mortis, tùm veniet, & te accipiet, ut ubi est ille, & tu sis. Gaude hinc & exulta! Ubi enim esse nãvis, quàm domi? quàm in domo Patris? quàm cum redemptore tuo Jesu?

Eò tibi anhelandum.  
Non ullus est mortalium  
Qui ponderabit præmium  
Tibi quod expectandum.

kkkk 3

III. Ex

III. *Ex trina Christi appellatione.* Thomâ enim de viâ conquerente, quod nesciat eam cum Collegis suis, ipse dicit: Ego sum via, veritas & vita.

1. *Viam* se appellat. Per Adamum via ad Paradisum nobis interclusa, Genes. 3. v. 24. Verùm per Christum, qui est alter Adam, illa nobis rursus patefacta est, ideò nos æque ac pœnitentem latronem consolari potest, quod cum se in Paradiso futuri simus, Luc. 23. v. 43. quin & in cœlum nos per fidem deducturus est.

Nemo, inquit, venit ad Patrem nisi per me. Ex quo consequitur, quod qui per eum, tanquam regiam viam ingrediat, cœlum apertum habeat, & in scala Jacobæ in cœlum ascendere possit, Gen. 28. v. 13. Joh. 1. v. ult.

2. *Veritatem* amissimus, h. e. verâ justitiâ, verâ agnitione & imagine Dei, technis Diaboli, qui pater mendacii est, Joh. 8. v. 44. exuti sumus. Per Christum verò veritas h. e. vera justitia, vera Dei agnitio, & imago Dei cum gratiâ Dei reparata est, Joh. 1. v. 14. quin & verbum ejus veritas est, Joh. 17. v. 17. qui hâc confidit, non confusus abibit. Omnes enim Dei promissiones in Christo sunt Etiam & Amen, 2. Cor. 1. v. 20.

3. *Vitam.* Adam, primus noster parens, temporalis & æternæ mortis reos nos fecit, juxtâ interminationem Dei, Genes. 2. v. 17. Christus verò Dux vitæ est, Actor. 3. v. 15. imò vita ipsa, qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium, 2. Tim. 1. v. 10. in ipso, ab ipso, & per ipsum non modò vitam naturalem, Actor. 17. v. 25. sed & spiri-

tualem habemus, siquidem in peccatis mortui, in Christo convivificati sumus, Eph. 2. v. 5. & postquam hanc vitam concluderimus. dabit nobis vitam æternam, Joh. 10. v. 27.

Hoc triplici Christi nomine, pientissimus Dania Rex Christianus b. m. se confirmavit. Quælitus enim ante obitum à Confessionario suo, quale solatium haberet respondit: Errare nescio, quia Christus via est. Verbo ipsius falli nequeo, quia est veritas. Non moriar, quia est vita. Nihil igitur mihi timendum erit.

Nos ad exemplum ejus similiter in agone dicamus: Domine JESU, tu dixisti, sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me: his verbis fidem habentes firmiter innitimur, tibi vivimus, tibi moriemur: quia tu via es, non aberrabimus, quia veritas, non falleremur, & quia vita, nunquam moriemur.

### De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

1. *Viam salutis scrutare.* S. Thomas nobis exemplo præit inquit: Domine, nescimus, quò vadis, & quomodo possumus viam scire? Quibus verbis desiderium suum, à Christo viam salutis discendi, contestatur. Idem nostri quoque officii est. Quia enim ut supra audivimus, multi flexuosi secessus sunt, ideò perquam opus erit, ut instar viatoris viam nescientis quæramus, quæ sit via bona, Jer. 6. v. 16. via scilicet ad Patrem. Hic Christus se spontè offert, ostendit nobis viam, inquit: Ego sum via. Necessè igitur erit, ut hanc



hanc viam probè observemus, & in eâ ambulamus, Jer. 6. v. 16.

Quid enim prodest via recta & regia, nisi in illa ambulaveris? Quia igitur spiritalis illa est, spiritaliter quoque calcari oportet. *Istud iter non pedibus, sed passibus mentis ambulate*, inquit Cassiodorus. Quod & Christus testatur, inquit: Omnis qui credit in eum, non peribit, sed habebit vitam æternam, Joh. 3. v. 16. qui videt Filium & credit in eum, habet vitam æternam, Johan. 6. v. 40. Id Paulus vocat, *ἡ πίστις ἀληθινή*, per fidem ambulare, 2. Cor. 5. v. 7. quâ ratione omnes fideles ab Abele hæcenus ambulaverunt, & ita ad Patrem pervenerunt.

Non verò sufficit in hac via incipere, & deinde respicere, ut uxor Lothi, Gen. 19. v. 26. Luc. 17. v. 32. vel planè in ambages & devia aberrare: sed in via regiâ manendum & pergendum est, ut obliviscaris quæ retrò sunt, ad ea verò, quæ sunt priora extendaste, ad scopum persequens, ad braviolum supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Phil. 3. vers. 13, 14. aliàs fieri non potest, ut ad cœlestem patriam perveniamus.

Quod si verò quandoque fieret, ut pedes nostri titubent, & à vera calle deflectant, siquidem & justus in die septies cadit, Prov. 24. v. 16. Verà nos pœnitentia & fide in Christum vicissim erigamus, & in rectam semitam revertamur, & refrigerium animabus nostris inveniemus, Jerem. 6. v. 16. Et licet variis molestiis, ut viatores experiuntur, in itinere hoc expositi simus, moderatè id feramus, scientes, quod per multas tribulationes in

Regnum Dei intrandum sit, Actor. 14. v. 22.

Sicut autem aurigas & viatores in molesto itinere speratum diversorium consolatur: Ita & nos dulci cœlestis diversorii requie omnes molestias & ærumnas peregrinationis hujus superare possumus. In domo Patris mansiones jucundissimas inveniemus, huc revertemur cum jubilatione, lætitia sempiterna super caput nostrum: gaudium & lætitiâ obrinebimus, & fugiet dolor & gemitus, Esa. 35. v. 10.

II. *Inscitiam tuam fatere.* S. Thomas ingenuè fatetur, neque se, neque Collegas viam salutis scire, idque propterea facit, quod eomelius de eâ edoceri possit.

Ita & nos infirmitates & ruditatem nostram ne abscondamus, sed rotundè & liberè profiteamur. Multi equidem malunt in luto ignorantie hætere, quam inscitiam profiteri, & plenior informationem petere, cum tamen

Non pudor est, nil scire: sed est nil discere velle.

Quandocunque igitur unus vel alter, de hac vel illo fidei articulo non sufficienter instructus est, non erubescat cum Thoma ignorantiam suam manifestare, & à pastore ordinario, vel alio erudito explicationem petere, sic sapiens erit, Sir. 6. v. 35. Nemo putet, autoritati hoc suæ derogare. Eunuchus Reginæ Candaces ex Æthiopia, Vir erat non infimæ conditionis & autoritatis, & tamen à Philippo explicationem Esaiæ petebat, Act. 8. v. 34. & ita ad cognitionem Christi perveniebat, respectu cujus omnis humana gloria & auto-

autoritas, pro stercore arbitranda, Phil.  
5. v. 8.

III. *Veritatem amplectere*, Christus ait: Ego sum veritas. Hæreseon sanè & errorum tanta seges est, ut vix numerari queat. Et tamen quilibet hæreticus errorem suum incrustatum & confirmatum it. Quò igitur à nemine fortè fallaris, à Jesu tuo disce, ille veritas est: idèd omnia, quæ dicit, vera sunt, verbum ejus veritas est, Joh. 17. v. 18. quod verò huic adversatur, mendacia & præstigiæ sunt, licet multis & plausibilibus argumentis pallietur. Veritati proindè insiste, nec à Spiritu mendacii falleris.

Quia & filii hujus seculi in antiqua consuetudine præsidium quærunt, & ex illâ jus evincere satagunt, noli illud attendere.

Tempore Gregorii Episcopus erat, qui & ipse prisca consuetudini multum tribuebat, cui verò Gregorius respondebat. *Christus dixit: Ego sum veritas, non dixit: Ego sum consuetudo.* Hoc responso & tu ejusmodi homines redarguere poteris. Dic cum Hanna: Nolite multiplicare loqui sublimia, sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum Dominus est, & non diriguntur studia, 1. Sam. 2. v. 3. Brevis: usque ad mortem certa pro justitiâ, Sir. 4. v. 33. Sic Dominus, qui est via, veritas & vita, via tua erit, in te omnes promissiones suas implebit, tibi quæ hinc vitam spiritualem, ibi æternam ex gratia largietur, quod fiat per Christum Jesum. Amen.

## IN FESTO ADSCENSIONIS CHRISTI.

*Evangelium Marc. 16. v. 14. -- 20.*

### EXORDIUM.

**O**ritur Sol, & occidit, & ad locum suum revertitur, ut ibi rursus oriatur, ait Regum Sapientissimus Salomo, Eccles. 1. v. 5. Per Solem nihil aliud denotat, quam luminare magnum, quod Deus posuit in firmamento cœli, ut præesset diei, Gen. 1. v. 15. 16. Ille igitur quotidie manè oritur, & cursum suum ad occasum dirigit, hoc modò diem in terrâ efficiens: Vesperis verò occidit, reliquum suum curriculum perficiens, dum ad locum, ubi pri-

diè ortus est, revertatur, & denuò exoriatur.

Hoc ipso verò Salomo vanitatem & interitum omnium filiorum Adami depingere voluit, qui & ipsi hinc non habent permanentem civitatem, Ebr. 13. v. 14. sed per labores & dolores ad præfinitum terminum currunt, Psal. 90. v. 11. in morte verò, velut Sol in nocte sepeliuntur, vita enim tum succiditur festinanter & avolumus, Psalm. 90. v. 10. Confer Sap. 5. v. 9. 10.

Et